57.

OMNES HOMINES cuius libet sectae, uel vitae, uel patriae, ita semper adspectum prudenciae naturali bono erigunt, ut oblectamento corporis rationalem mentis etsi non actu preferant, iudicio tamen preferendam sciant. Quae mens ratione duce illustrata in medio uirtutum, quibus genuino fauore quamuis uitiis inclinetur adsurgit, ad scientiam dei quasi arcem prospicit. Deum enim quilibet hominum contemnere ad tempus potest, unde quidam dum in multis deum credunt, multos deos indiscreto timore finxerunt. Sed hinc iam uel maxime cum auctoritate ueritatis operante, tum etiam ipsa ratione discutiente discessum est. Quippe cum et philosophi eorum ut de nostris sileam, dum intento mentis studio quaerunt scrutanturque omnia, unum deum auctorem omnium repererunt, ad quem unum omnia referrunt. Unde etiam nunc pagani quos iam declarata ueritas de contumacia magis quam de ignorantia conuincit, cum a nobis discutiuntur non se plures deos sequi, sed sub uno deo magno plures ministros uenerari fatentur. Restat igitur de intellegencia ueri dei per multas intellegendi suspiciones confusa dissensio, quia de uno deo omnium pene una opinio est. Huc usque humana scrutatio, et si cum labore inuenire potuit. At ubi ratiocinatio deficit, fides subuenit. Nisi enim crediderimus, non intellegimus. Ab ipso audias ipsique deo credas, quicquid uere uelis scire de deo. Hic itaque unus et uerus deus in quem omnis ut diximus et si ex diuersis opinionibus secta concurrit, mutans regna et disponens tempora, peccata quoque puniens, quae infirma sunt mundi elegit ut confundat fortia.

Romanorumque imperium assumpto pauperrimi status pastore fundauit. Hoc per reges et consules diu prouectum, postquam Asiae Africae atque Europae potitum est imperio, ad unum imperatorem eundemque fortissimum et clementissimum cuncta sua ordinatione concessit. Sub hoc imperatore quem omnes fere gentes amore et timore permixto iuste honorarent, deus uerus qui superstitione sollicita ab ignorantibus colebatur, magnum illum intellegentiae suae fontem aperuit. Promptiusque per hominem docturus homines filium suum misit, operantem uirtutes quae excellerent hominem coarguentemque demones, quos aliqui deos putauissent, ut qui ipsi tamquam homini non credidissent, operibus tamquam dei crederent. Deinde ut in magno silentio ac pace largissima inoffense et celeriter noui nominis gloria et adnuntiatae salutis uelox fama percurreret, uel etiam ut discipulis eius per diuersas gentes euntibus, ultroque per cunctos salutis dona offerentibus.

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel 0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/mss/80-gud-lat/start.htm?image=00117
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/hab_mss80-gud-lat/0117